Fragmentarium

audivit quis esset. Cum adhuc longe po
situs aspexit: et immenso timore per
culsus cepit tremere, lassescere, seque
ipsum nutantem gressum vix posse por
tare. Qui tremens ad dei hominem per
venit: atque humiliter eius genua de
osculans ulnis suis strinxit: suumque
dominum ei occurrisse nuntiavit. Cui
resalutato dei famulus precepit dicens:
Leva fenum viride: porta pabulum
iumentis in quibus venistis. Ego quia
parum superest opere expleto te subse
quor. Is autem qui missus fuerat
iulianus defensor mirabatur valde
quidnam esset quod redire moraretur puer:
cum ecce revertentem puerum conspicit.
atque in collo fenum ex prato deferen
tem. Qui vehementer iratus cepit
clamare dicens. Quid est hoc? Ego
te misi hominem deducere non fenum por
tare. Cui puer respondit. Quem queris
ecce subsequitur. Cum ecce vir dei
clavatis calciatus caligis falcem
fenariam in collo deferens veniebat.
Quem adhuc longe positum puer suo
domino quia ipse esset quem quereret indicavit.
Quem vero iulianus repente ut vidit dei
famulum ex ipso habitu despexit:
eumque qualiter alloqui deberet proterva
mente preparavit. Mox vero ut famulus
dei cominus affuit eiusdem iuliani
animum intolerabilis pavor inva
sit ita ut tremeret: atque ad insinu
andum hoc ipsum ad quod venerat vix
sufficere lingua potuisset. Qui humi
liato mox spiritu ad eius genua
cucurrit: orationem pro se fieri petiit:
et quia apostolicus pontifex eum videre
vellet indicavit. Vir autem venerabilis
equicius cepit immensas gratias deo
agere: et asserens quod se per summum pon
tificem gratia superna visitasset. Illico
vocavit fratres: precepitque hora eadem
iumenta preparari: atque executorem suum
cepit vehementissime urgere ut statim
exire debuisset. Cui iulianus ait. Hoc
fieri nullatenus potest: quia lassatus ex itinere
hodie non valeo exire. Tunc ille respon
dit. Contristasti me fili: quia si hodier
na die non egredimur. iam crastina
non exibimus. Dei itaque famulus execu
toris sui lassitudine coactus in mo
nasterio suo eadem nocte demoratus est.
Cum ecce sequenti die sub ipso lucis
crepusculo vehementer equo in
cursu fatigato ad iulianum puer
cum epistola venit: in qua ei preceptum
est ne servum dei contingere vel movere
de monasterio auderet. Quem cum ille
requireret cur sententia esset mutata:
cognovit quia nocte eadem qua ipse
illuc executor missus est. per visum pon
tifex fuerat vehementer exterritus
cur ad exhibendum dei hominem mittere
presumpsisset. Qui protinus surrexit: seque vene
randi viri orationibus commendans ait. Rogat
pater ut ne fatigari debeatis. Cumque
hoc servus dei audisset: contristatus
ait. Numquid non hesterno die dixi
quia si non statim pergeremus. iam pergere mi
nime liceret? Tunc pro caritatis ex
hibitione aliquantulum executorem suum
in cella retinuit: eique laboris sui
commodum coacto renitentique dedit.
Cognosce igitur petre in quanta dei
custodia sunt qui in hac vita semetipsos
despicere noverunt: cum quibus intus
civibus in honore numerantur. qui
despecti foris hominibus esse non erubes
cunt. Quia e contra in dei oculis iacent:
qui apud suos et proximorum oculos per
inanis glorie appetitum tument. Unde
et quibusdam veritas dicit. Vos estis
qui iustificatis vos coram hominibus: deus
autem novit corda vestra. Quia quod hominibus
altum est: abhominabile est ante deum.

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1518, fol. 4v – Gregorius I, <i>Dialogorum libri IV</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-siju/7374/59251)